

Christian Heinrich Breuning

**De Patria Potestate Eivsque Effectibvs Ex Principiis Ivris Natvralis Tractatio II. :
Simvlqve Generosissimam Ac Nobilissimam Legvm Cvpidam Ivventvtem Ad
Frequentanda Collegia Sva Officiosissime**

Lipsiae: Ex Officina Langenhemia, [1755]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1789932416>

Druck Freier  Zugang





55. Buefer ad L. si quis in tantum C. unde vi.
 56. Prunmer utrum testamenta parturientium inter cetera lexus se-
 quioris juris sint et esse debeant privilegiata?
 57. Schorch de fideicommissis ejusque legitima probatione.
 58. Bunemann de emtore conductorem secundum jus civile non expellen-
 de.
 59. Braun de usufructu parentum in bonis liberorum tam de jure Roma-
 no quam Germanico genuino fundamento
 60. v. Elen de renovatione contractus locationis et conductionis.
 61. a. Balthasar de qualitatibus boni judicis.
 62. Schorch utrum conditio qua certa religio in subjecto requiritur pro
 suscipi vel honesta sit habenda.
 63. Strecker de amortizatione bonorum ecclesiasticorum.
 64. J. G. L. de aedificiis negotiationis caesaria non diuendi.

V. K — 2 (108.)

1. De re
 2. De
 3. De
 4. De
 5. De
 6. De
 7. De
 8. De
 9. De
 10. De
 11. De
 12. De
 13.
 14.
 15.
 16.
 17.
 18.
 19.
 20.
 21.
 22.
 23.
 24.

1. Breuning ad § 7. I. quib. mod. testam. infirmantur et ad C. l. ff. de fugitivis.
2. Idem de patria potestate ejusque effectibus ex principiis juris naturalis.
3. Rivinus de ordine commemorantium praesumpto.
4. Breuning de causis iustis soluti foederis.
5. Idem de nobile non mercatore.
6. Idem de usu juris naturalis in causis commerciorum de iudicandis.
7. Idem de Gasundis hodiernis necessariis ex jure Jus. Anstymung.
8. Idem ad C. 98 ff. de verb. significat. seu de die intercalari.
9. Idem de juratione cognationis et familiae.
10. Idem observationes juris naturalis
 - a. obsider genti dati non desinunt esse cives gentis dantis.
 - b. mutato fluminis alveo non mutantur imperii termini.
 - c. creditor pignoris an fiat dominus.
 - d. foedera Christianorum cum infidelibus iusta stricte obligant et contra Christianam gentem.
 - e. an in regno vi victoriae quaesito ipso jure universali obtineat successio.
 - f. feminae jure universali injuste excluduntur ab imperandi potestate.
11. Idem de testamentifactione feminarum.
12. de vindicatione rei venditae et traditae.
13. Stryck. differentiae juris veteris novissimi et praesens secundum ordinem novellarum.
14. Mettelblad. vindicatio conjecturae de factibus juris Lubecensis.
15. Idem de libertino privilegio successione foeminarum nobilium Megapolitana in feudi.
16. Idem de successione filiarum nobilium in feudi Pomeraniae.
17. Idem de heliolatria veterum.
18. Idem de ritibus ac ceremoniis veterum Christianorum in celebrando festo Paschato.
19. Idem. ob litterati doctores licentiat, advocati so long duo fuisse Tribunal Hof und Ratgericht inmatriculiret sind dambes in der Stadt wo sie commoiven das bürgerrecht quoniamms und quocaturans exerciren glanz dunn und fluchtus dafelst das Richtigheit in dem Richtig furdus qd bagno unvchindt.
20. Mettelblad. faciales rerum Curlandicarum.
21. Sturm de variis causarum figuris.
22. Idem de pactis legitimis et conditionibus. merito suspectis ex lege
23. Sturm meditationes
 - a. de observanda charitate christiana erga delinquentes et ad mortem condemnatos.
 - b. de testamentis ad mortem condemnatorum.
24. Idem de ingratitude juridica ejusque poenis.

25. Cyprinus de jure regio.
26. Linck de manu propria.
27. Linck de jure finium.
28. Hommel cur actiones praetoriae annales sint.
29. Linck de jure templorum.
30. Schreiber de causarum politicae et earum quae justitiae dicuntur con-
flictu et differentia.
31. Reinhardt de differentis quae inter revisiones rurales et eas intercedunt
quibus in statuus provinciarum et foris utitur, a quibus ob privilegium de
non appellando appellationes censentur in illicitis, et de remediis quibus
per sententiam revisionis gravatis uti fas est.
32. Stahl de amipite in terris vel civitatibus mixtae religionis asylosum jure.
33. Boerner de modis faciendi foedera pacis imperii Rom. German.
34. Pütter de legum impeni fundamentalium et civilium differentia.
35. Bruckner de vacationis odio in jure.
36. Bruckner an curatores minorum nomine sed absque horum consen-
su valide celebrent contractus?
37. Idem de exploratoribus non Opionum.
38. Idem de levamine oneris portularum.
39. Idem de jure reali ejusque actionibus et speciebus.
40. Madihn de legitime natorum portione legitima in successione cum legi-
timatis.
41. Idem de effectu legis commissoriae parte praetii soluta, ad l. 4 § 1. de leg. com-
mif.
42. Idem non dicitur majus Grundstuck in der ungleichheit selbist und einem jure
admittit in Verbragn.
43. Amstel Singularia jure maritimi.
44. Apinus an liceat brutorum corpora mutilare?
45. Richter vita Frederici Wilhelmi Suis Megapoli.
46. Idem. de bibliorum editionibus et versionibus.
47. Carpzov de ed. 10730 216 nostra. Jurconsultorum.
48. von Esen de renovatione contractus locationis conductionis.
49. Struw de clausulis reservationum et protestationum in conventionibus pro-
vatorum proficiunt.
50. v. Drachmann, Kupfist uno dno 2^{te} Luffen / für Jübelst in Mühlhübing.
51. Struw de eo quod justum est circa sacra domestica. Gauslirifw.
52. Müller de eo quod circa curam pauperum generatim observandum est.
53. Apinus de medenburgerum a gentilibus ad christianismum conversione.
54. Bonul non dicitur Abändunng der grundstuck für abirbes schupen.

vide retro,

2.

DE
PATRIA POTESTATE
EIVSQUE EFFECTIBVS

EX
PRINCIPIIS IVRIS NATVRALIS
TRACTATIO II.

SIMVLQVE
GENEROSISSIMAM AC NOBILISSIMAM
LEGVM CVPIDAM IVENTVTEM

AD
FREQVENTANDA COLLEGIA SVA
OFFICIOSISSIME

I N V I T A T
CHRISTIANVS HENRICVS BREVNING

I. V. D. ET PROF. PVBL.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

2

PATRIA POTESTATE

EIVSQVE EFFECTIBVS

PRINCIPIS IVRIS NATVRALIS

TRACTATIO II

SIMPLICE

CLAVSORE ETIAM AD NOTISSIMAM

LEGAM CIVIDAM IVENTITAM

AD

THEOPHILANDI GOLDFLAMI

OPTICISSIMI

AVT

CHRISTIANVS HENRICHVS BREYNING

AVT

AVT

AVT



TRACTATIO II.
DE
PATRIA POTESTATE
EIVSQUE EFFECTIBVS
EX
PRINCIPIIS IVRIS NATVRALIS.



§. I.
biit lustrum et ultra, cum suscipere ex *Naturali*
Iure omne ius Patrium omnemque patriam eicere
potestatem et liberos parentibus aequales absque im-
perio viuentes in ea scientia docere. Nunquam me
hactenus nec laboris nec sententiae poenituit, tam ob argumen-
torum grauitatem, quam ob consentientium summum iudicium.
Excitavi iam eo tempore cōsentientes et iam consentientem ad-
do *Ephr. GERHARDVM* in *Delin Iur. Natural. L. III. cap. III.*
egregie disputantem. Scribit: *Ast quisnam subueniet* (natis re-
center

III

center paruulis?) Forte nemo. Ergo necessum est, ut iura ipsis subueniant. Hoc in statu civili fieri poterit: in naturali non aequè, ubi de equalium vix interest, quid quisque faciat vel non. Parentes obligatos cupis. Sed vnde? quia generarunt. Sed quid inde? Respondes hinc enim ad ipsos pertinent liberi. Sed regerent hi: id circo licere cum iis agere ut lubet, quod enim meum est, illo vtor pro lubitu; meum vero est, quod ad me pertinet. Accusas crudelitatem regerentium: accusabo tecum. Sed crudelitas et iniustitia differunt. Crudelitas enim est oppositum misericordiae: iniustitia iustitiae. caet. Satis dixit; quare ea quae ipse dixeram non repeto. Promiseram vero, me adhuc acturum de iure exponendi, alendi, vendendi, per liberos acquirendi, consentiendi in eorum nuptias deque aliis, quod, ne a promissis vel recessisse videar vel laboris incapax, iam praesto.

§. II.

Permiserant leges tam inter Graecos quam Romanos, ut parentes liberos suos exponerent, de quo iure egit DATTIVS de *Jur. vendend. libr.* Iam videamus quid Ius Naturae suadeat. PUFENDORF. in *Jur. Nat. Lib. VI. c. II. §. 1.* adserit, patriam potestatem non eo vsque se extendere ut prolem recens editum abicere possit. Addit rationem: Nam vtvt ex substantia parentum exciretur soboles, in aequalem tamen cum illis conditionem statim collocatur, saltem haecenus, vt iniuriae abs quouis capax sit. Recte veniunt liberi in statum aequalem, at talem qui est omnis subiectionis expers ab eo demum tempore, quo fiunt homines morales, hoc est, moralium obligationum capaces. Absurdum enim esset solum physicum hominem obiectum facere doctrinae moralis. Neque solus est Pufendorfius, qui hoc parentibus denegat ius; ipse GUNDLINGIVS in *Jur. Nat. et Gent. c. XXIX. §. IX.* prope consentit. Ergo, inquit, etiam expositio partus aut eius caedes iuri naturae contraria est, quoniam homo est, quem nemo licite laedit et occidit. Magis ex parte sapere mihi videtur HOBBSIVS de *ciue c. IX. §. 4.* A matre autem, inquit, ad alios transit dominium diuersis modis: primo, si ius suum dereliquerit siue abiecerit filium exponendo. Examinauit vero Hobbesii sententiam Pufendorfius *c. I. §. 2. et 3.* et KVLPISEIVS *Exerc. IV.* Neuter vero bene, quamuis Hobbesii sententiam ex omni parte meam non

V

non efficiam. Gravissimus vero aduersarius videlicet est *Io. Frid. HOMBERGK* in *Hypomn. Iur. Gent.* eiusque interpres *Cass. ARHE-DEN* ad *Tit. IV. §. 8.* Prior decernit, *exponere non licere infantem.* addit Notator: *pugnat cum sine educationis et illam destruit, ne dicam delictum hic committi contra officum generale omnibus hominibus* (sed non iis, qui adhuc non sunt homines morales) *debitum de nemine laedendo.* Non eger haec sententia refutatione; eum enim, cui denegamus sola humanitatis beneficia, quale est educationis, non laedimus. Nihil dicam de aliis, qui hanc utique non separantes scientiarum terminos obligationem parentum naturalis iuris arbitrantur. Non ergo in iure naturali adest lex prohibitiua, quominus exponantur liberi, potius vel naturalis *σφεγνῆ* vel misericordia et pietas ad non exponendos liberos, sed potius alendos educandosque obligat, sed obligat imperfecte.

§. III.

An ergo alendi sint liberi et educandi et in bonis artibus instruendi, quo aliquando adulti sibi panem quaerant et victum? Et fere neminem vel saltem paucissimos vidi doctos homines, qui non hanc parentibus tribuant educandi alendique partus necessitatem. Equidem *BARBEYRACIUS* in *Not. ad Grotii Ius Belli et Pac. L. II. c. VI. §. 4.* distinguendum arbitratur inter tempus quo liberi sibi nondum alimenta acquirere possunt et illud quo capaces demum facti. Priori tempore obligatos putat non aequae posteriori. Acceptabo *Barbeyracii* sententiam tunc, si probauerit, infantem iurium et obligationum esse posse capacem, imo, si pietatem, qua complecti possunt obligationes parentum et liberorum reciprocae, probauerit desiisse esse virtutem et ethices obiectum, factamque esse iustitiae strictissimae partem. Id vero efficiet nunquam. *GROTIUS* cit. loc. testatur quosdam esse *ICTOS*, qui adsererent esse quidem *naturali rationi satis consentaneum, ut a parentibus alantur liberi, debitum tamen non esse.* Recte si sub debito intellexere ius perfectum. Si hoc, utique verissima est horum sententia. Nam ex naturali ratione per ethica praecepta cognoscitur, ex pietate alere debere parentes liberos, cum sese conseruare adhuc nequeant, at postulent ex principio honesti, non tanquam debitum naturae, vel tanquam perfecte obligati sint parentes. Neque ad-

VI

huc perspicio, quo veniat in Iure Naturali, in qua disciplina omnes homines aequales considerantur, diversitas officiorum inter eos, qui inter se ut causa et effectus physicus considerari possunt. Si enim omnes aequales sint, hoc est, omnes eadem iura easdem obligationes habeant, et liberi sint ex legum necessitate alendi, non datur causa, cur alii, qui non sunt liberi, hoc destituantur iure. Neutiquam vero ius naturae praecipit, sed prohibet tantum, ne quid fiat, quo alterius pax externa turbetur. Exinde deduco: male in Iure Naturali quaeri obligationem educandi alendique liberos. Sed miror GROTIUM *cit. loc.* qui educandi necessitatem probat *ex animalibus insito adfectu ut suos partus alant.* Haec sunt τὰ πρῶτα τῆς φύσεως s. instinctus naturales, neutiquam leges naturae. Neque ex factis bestiarum deducere principia iuris naturae. Concedo inesse humanae naturae educandae sobolis stimulum. Concedo praecepta morum adeo obligare homines; sed nego eam ipsam obligationem ex naturae iure deduci vlllo verissimo argumento posse.

§. IV.

Quae cum ita sint, facile iudicium feras, an parentibus competat ius vendendi oppignorandive liberos. Est sane communis error, ut, quod negandum adfirment, adfirmanda negent. Sic agunt Icti in decidenda hac quaestione. Si audiamus GROTIUM *de Iure Bell. et Pac. Lib. II. c. V. §. 5.* non tantum oppignorandi sed et vendendi ius, hocque iuris exercitium patienter ferendi liberis tribuit obligationem. Ait: *Quaquam imperium paternum sequatur ipsam patris personam ac σχῆσιν, ut auelli transferrique in alium non possit, potest tamen naturaliter pater filium oppignorare et si necesse sit etiam vendere, ubi alia ratio eum alendi non suppetit.* Neque dissentit PVFENDORFIVS *in Iur. Nat. et Gent. L. VI. c. II. §. 9.* Sed ut pater, inquit, filium oppignorare aut etiam vendere posset, id nullo casu natura videtur permittere, nisi ubi alia ratio eum alendi non suppetat. Omnes prope vendendi oppignorandive ius vnice ad casum necessitatis restringunt. Sic HOMBERGK *zu VACH in Hypomnem. Iur. Gent. Tit. IV. §. 8.* oppignorare aut vendere licet in casu necessitatis. Sic GRIEBNERVS *in Iur. Nat. L. I. c. IX. §. 4. n. 3.* Ius vendendi liberos patri, ut sibi prospiciat, non competit; competit vero si liberis alias pereundum sit.

Non

Non excitabo ZIEGLERVM *ad Grot. p. 269.* nec OSIANDRVM
 p. 727. neque KVLPIVIVM *p. 52. lit. t. et x.* GVNDLINGIVM
in I. Nat. c. XXIX. §. 11. et alios. At sine omni restrictione hoc
 ius parentibus negat HEINECCIUS *in Iur. Nat. et Gent. L. II.*
cap. III. §. 58. Sed omnes fere a recta aberrant via, quippe di-
 ffinctionem negligunt, quae tamen negligenda non erat. Qua-
 propter arbitror differentiam esse statuendam inter *sobolem infan-*
tem et hominem, h. e. qui vsu rationis vel destituitur, vel gau-
 det. Si de iis liberis, qui vsu rationis pollent, quaestio oriatur,
 an possint a parentibus vendi? absurda mihi videtur quaestio.
 Cum enim iure naturali omnes homines sint aequales, status vero
 aequalitatis nunquam patitur, vt alter alterum tanquam rem suam
 vendat, nisi praecedat pactum, quo alter alterius dominio se sub-
 miserit, nunquam permittet ius naturae, vt parentes liberos suos,
 in quos amplius nullum competere potest ius, cum sint aequales,
 vendant vel in pignus dent. At si de infante rationis experte
 sermo sit, quem inter homines morales nedum referre poteris,
 non equidem video, cur parentibus hoc ius negemus, siue ne-
 cessitas id suadeat, siue non. At si huius venditionis effectum re-
 spicias, eo vsque valida erit, quousque ob rationis vsu, quem
 partus venditus demum consecutus fuit fieri potest. Simulac enim
 rationis vsu infans consequitur, moralem obtinet naturam. Sua
 enim connata iura in ratione posita sunt, per quam ipsi promulgata,
 per quam cognoscit et diiudicat ea ipsa iura. Cessabit ergo omnis
 a venditione pendens effectus, si homo, vt vocant, moralis per
 rationis vsu efficitur, hoc est aequalis emtori, qui in eum ex
 pacto cum altero inito ius habere nequit, nisi illius nouus su-
 perueniat consensus, renuntiando libertatis et aequalitatis iuri.

§. V.

Iam ad aliud caput. Quaerunt: *an I. N. parentes acquirant
 per liberos?* GROTIUS *de Iur. Bell. et Pac. L. II. c. V. §. 2.* tria
 distinguit tempora, imperfecti iudicii, perfecti, sed dum filius
 pars est familiae, et demum a quo tempore exit ex familia. De
 priori tempore adfirmat omnes liberorum actiones esse sub domi-
 nio parentum, et addit: *Est tamen eo quoque tempore filius aut
 filia capax dominii in res ex iure gentium, sed exercitium impedi-*
tur ob iudicii imperfectionem. Quare vt res liberorum parentibus
 acqui-

VIII

acquirantur, non naturale est, sed ex quorundam populorum legibus. caet. Non vrgeo, quam nouam superaddit distinctionem PVFENDORFIVS in *Iur. Nat. L. VI. c. II. 7.* inter ea bona, quae per propriam industriam acquiruntur, et ea, quae ex aliorum liberalitate proueniunt, quam distinctionem recte KVLPIVS in *Colleg. Grot. Exerc. IV. §. 2. Tit. I.* putat non naturalis, sed iuris ciuilis esse. Acquirendi ius non patriae potestati tribuit, et recte GVNDLINGIVS in *Iur. Nat. c. XXIX. §. 16.* sed aequitati Ait: *Ius in BONA LIBERORVM non quidem ἀπὸ πάτρης e patria potestate fluit; sed aequum tamen est, ut, quamdiu pars sunt familiae, fructus et redditus bonorum maneat penes parentes, quo illis onus educandi reddatur tolerabilis. Alias CONIVGIUM et GENERATIO non videntur esse modi acquirendi dominium.* Bellissime vero separat pactum. Quare si vel bona a parentibus ad liberos eo pacto veniant, ut sint parentum, vel pacto liberi sese obligauerunt, ut quicquid acquirant, parentum fiat, nulla superest dubitatio, parentes per liberos suos acquirere posse. Sic ex parte sapit GRIEBNERVS *Iur. Nat. L. I. c. IX. §. 4. n. 6.* *In res filii, inquit, nec dominium nec ususfructus ex Lege Naturae competit, sed administratio tamen, quousque liberi eam suscipere impediuntur.* Verum utique prius, sed ex quo axioma posterioris placiti probatio petenda, me fugit. Quapropter arbitror, pari ratione distinguendum inter infantes rationis vsu destitutos et liberos qui eo vsu gaudent. Cum ad omnem acquisitionem voluntatis determinatio per intellectum requiratur, ea vero rationis qualitate destituantur infantes, vix fiat, ut ipsi acquirant et sic per eos parentes, nisi quatenus ea applices, ut per accessionem tanquam rei, rem suam faciant parentes. At si vero ratione gaudeant liberi, nullum superest dubium per eos acquiri non posse ob aequalitatem, quae inter omnes omnino in I. N. intercedit homines.

§. VI.

Omnem si patriae potestatis verum originem quaerimus, et ex ethices praeceptis et ex inuentis ciuitatis erit deducenda. Praecipit ethica, ut gratitudinem reuerentiamque iis exhibeamus, a quibus ornatur beneficiis, imo praecipit misericordia, ut eorum curam, educationem et conseruationem curemus, qui se ipsos curare

IX

curare, educare et conseruare nequeunt. Addit ciuitas nouum pondus, vt quilibet educet prolem ad obtinendum ciuitatis finem et ipsius conseruationem. Vult ergo ciuitas finem, vult necesse est media, quae in subordinatione posita sunt. Hinc venit, vt coercendi ius datum sit parentibus, si recedunt ab officii pietatis neque se patiuntur flecti, quo per eos aliquando finis ciuitatis obtineatur. Non equidem negabo, multos esse inter primarios, qui hoc coercendi ius deducunt ex Naturae Legibus. Docet hoc inter alios, qui multum simul nugatur *Hug. GROTIVS. de I. Bel. et Pac. Lib. II. c. V. §. 2. PVFENDORFFIVS. Jur. Nat. Gent. L. VI. cap. II. §. 7. HEINECCIUS El. Jur. Nat. L. II. Cap. III. §. 56. GRIEBNERVS Jur. Nat. L. I. c. IX. §. 4. n. 4.* et alii. Ego vero non nego, me inter aequales, quales et Iure Nat. sunt liberi et parentes, praeter vindictae ius nullum coercendi ius perfectum parentibus competens reperire potuisse. Concedo, si laedant liberi parentes, armorum iura pertinere ad parentes, et versa vice. Sed posse coercere morales actiones iustitiam non laedentes, id aequalitas nunquam patitur. Vt ergo liberi ferant coercionem parentum imo et iniurias illatas, id non praecipit I. N. suadent praecepta ethices propter mansuetudinem et patientiam virtutes.

§. VII.

Vnicum sane miror, potuisse quosdam Ictorum adeo requirere consensum parentum in contrahendis liberorum nuptiis. Scribit *HOMBERGK zu VACH in Hypomnem I. Gent. Tit. IV. §. 6. Liberi igitur potestati parentum subiacent et ad obedientiam illis praestandam obligati sunt. Consensum eorum adhibere debent ad nuptias, ob honorem illis debitum.* Sed adeo adhuc sapit, vt addat: *Contractas tamen sine suo consensu non possunt dicere nullas.* Concludo: Si parentibus non competit ius perfectum nullas dicere nuptias ob neglectum consensum, consensus non est de necessitate. Pertinet ergo ad liberorum obligationes imperfectas, quibus nullus datur in I. N. locus. Rectius sentit *GROTIUS cit. loc. §. 10.* quamuis vera argumenta tetigisse mihi non videatur. Ait: *Super facultate morali quaestio oritur de parentum consensu, quem ad validitatem coniugii quasi naturaliter quidem requirunt.*

B Sed

X:

Sed in eo falluntur, nam quae adferunt argumenta, nihil aliud probant, quam officio filiorum conueniens esse, ut parentum consensum impetrent: quod plane concedimus cum temperamento, nisi manifeste iniqua sit parentum voluntas. caet. consentit KESTNERVS Antecel. Rintel. in Iur. Nat. Cap. IV. §. 17. sed ex falsis rationibus. Veram rationem hanc puto. Cum demonstratum sit, parentibus nullum ius in liberos, nullam potestatem competere posse per naturam, quae omnes homines aequales esse voluit, omnemque ignorat subiectionem, nunquam erit praeceptum in I. N. ut liberi parentum requirant consensum, quippe qui ex sola honestatis ratione requiri potest, non aequae ex Legibus iustitiae conf. GVNDLINGIYM Iur. Nat. Cap. XXIX. §. 24.

§. VIII.

Neque aliter comparata est quaestio; *an ad elocandam filiam obstringantur parentes?* Egregie delirat *Henr. HENNIGES in Grotium Lib. II. cap. V. p. 447.* Videtur quodammodo elocationem filiarum iam inuenisse in Iure Naturali, quippe per eam putat potestatem dissolui patriam. Quo id probare vnquam possit argumento, ego sane nullum vidi argumentum. Rectius omnium dotium causae sunt ex ciuili iure, nunquam naturali; hinc factum ut quaedam gentes vel prohibuerint dotes vel plane ignorauerint. Haec ergo nulla est I. N. quaestio. Nunquam enim turbabit pater pacem filiae externam, cui dotem non soluit, ut nubere possit.

§. IX.

Supereff vt adhuc de *emancipatione* quaeramus. Prope nullus eruditorum est, qui non simul cogitet de dissoluenda patria potestate. *FLEISCHERVS in Iur. Nat. Lib. III. Cap. III. §. 18.* mirifice philosophatur. Ait: *Durat haec patria potestas, quamdiu Parentes suo officio educandi adhuc satisfaciunt. Quando itaque liberos sibi ipsis relinquunt, aut si seorsim agere suasque rationes separatas habere incipiunt, desinit etiam Ius alioquin parentibus competens, ac nulla amplius obedientia, sed saltem reuerentia locum inuenit. Non igitur improbat Ius Naturae solemnem Romanorum emancipationem, nec tamen praecipit eam.* Adfunt lorarii, qui

XI
qui hunc largiter castigant! HOMBERGK *cit. loc. §. 9.* patriae potestatis terminum ponit *pubertatem*. Non repero, quae male scripsit HEINECCIUS *in Jur. Nat. L. II. cap. III. §. 71.* Res parum habet difficultatis. Monstrauimus prima tractatione, nullam esse patriam potestatem et imperium. Qua de causa, nec opus est emancipatione, quae pertinet ad non entia. Si vero liberi, quo vsque sint vsu rationis expertes, rebus accenseri possunt, utique ipsius rationis vsus terminum huius potestatis et iuris constituet. Simulac enim liberi vsum percipiunt rationis, desinunt esse res, et sic fiunt homines morales qui nulli sunt ex I. N. subiecti, omnibus potius aequales.

§. XI.

Sed haec ita. Reliquae quaestiones facile ex his, quae ante scripta sunt, diiudicari poterunt. Iam ad ea venio, propter quae haec scripta sunt. Constitui hoc semestri hyberno sequentia instituere collegia, videlicet:

HORA IX ad X diebus ♀. ♂. 4. ♀. explicabo *Ius Germanicum* praeunte PÜTTERO.

X-XI. singulis diebus et Hora II ad III diebus ♀. ♂. 4. ♀. interpretabor *Pandectas* ex HEINECCIO.

XI-XII. singulis diebus exponam Textum *Institutionum Imperialium*.

III-IV. diebus ♀. ♂. 4. ♀. enucleabo *Ius Naturae* quod ex propriis schedis communicabo.

IV-V. ♀. ♂. 4. ♀. interpretabor *Ius Canonicum* ex ENGAVIO.

V-VI. iisdem diebus docebo *Ius Criminale* ex GAERTNERO.

III-IV. diebus ♀ et ♂ continuabo *Disputatorium*.


et tandem, quo muneri a Clementissimo REGE antecessoris demando satisfaciam, interpretabor publice

XII


HORA II ad III diebus ☿ et ♃ *Leges XII Tabularum* monstrato eo, quod adhuc obtinet vsu fori, vel abrogatum et mutatum est, et quod nouiter introductam.

Cum intellexerim, quibusdam COMMILITONVM GENEROSSISSIMORVM atque NOBILISSIMORVM non iniucundum fore addiscere *Ius Militare*, constitui praelegere HORA IX ad X diebus ☿ et ♃ hanc Iuris doctrinam. Sicuti nec iis deero qui vel in apprehendenda *praxi forensi* laborare cupiunt, vbi conueniam de hora, vel qui *Examinatorium exercitium* exoptant, cui dicabo HORAM IV ad V. iisdem diebus ☿ et ♃. Quibus itaque ex ORNATISSIMIS COMMILITONIBVS non displicet mea opera in addiscendo Iure vti, iis promitto, me omnem daturam operam, vt nunquam eos poeniteat consilii. Vti vero sua frequenti praesentia adesse velint, omni qua par est humanitate rogo atque obsecro. Initium capiam lectionum finitjs statim nundinis die XX Octobr. Dabam Lipsiae Festo Michaelis a Nato Salvatore Anno CIOIO CCLV.











VI

huc perspicio, quo veniat in Iure naturali, in qua disciplina omnes homines aequales considerantur, diversitas officiorum inter eos, qui inter se vt causa et effectus physicus considerari possunt. Si enim omnes aequales sint, hoc est, omnes eadem iura eadem obligationes habeant, et liberi sint ex legum necessitate. Alii, non datur causa, cur alii, qui non sunt liberi, hoc destituantur iure. Neutrquam vero ius naturae praecipit, sed prohibet, ne quid fiat, quo alterius pax externa turbetur. Concedo: male in Iure naturali quaeri obligationem educationis liberorum. Sed miror GROTIUM cit. loc. qui necessitatem probat ex animalibus insito affectu vt suos educant. Haec sunt τὰ πρώτα τῆς φύσεως s. instinctus naturae in leges naturae. Neque ex factis bestiarum deducitur iuris naturae. Concedo inesse humanae naturae moralis stimulus. Concedo praecepta morum non esse iuris naturae; sed nego eam ipsam obligationem ex natura sua esse, quo verissimo argumento posse.

§. IV.

Quaeritur, an facile iudicium feras, an parentibus competat ius vendendi filios, an adiuue liberis. Est sane communis error, vt, quod in natura videtur, adfirmata negent. Sic agunt ICI in de iure Bell. et Arm. §. 5. non tantum oppignorandi sed et vendendi ius parentibus. Quamquam exercitium patienter ferendi liberis tribuit obligationem, Quamquam imperium patrum sequatur ipsam potestatem, ut auelli transferrique in alium non possit, naturaliter pater filium oppignorare et si necesse sit vendere, alia ratio eum alendi non suppetit. Neque distulit GROTIUS in Iur. Nat. et Gent. L. VI. c. II. §. 9. Sed videtur permittere, nisi vbi alia ratio eum alendi non videtur prope vendendi oppignorandive ius vnice ad castros stringunt. Sic HOMBERGK zu VACH in Hypomnemata Tit. IV. §. 8. oppignorare aut vendere licet in casu necessitatis. TRIEBNERVS in Iur. Nat. L. I. c. IX. §. 4. n. 3. Ius vendendi prospiciat, non competit; competit vero si liberum sit.

